

www.e-rara.ch

Petri Megerlini ... Theatrum divini regiminis a mundo condito usque ad nostrum seculum

Megerlin, Peter

Basileae, MDCLXXXIII [1683]

ETH-Bibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-24829>

Caput III. De coniunctionibus magnis, earumque revolutionibus per trigonos signorum.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

ad scopum revertamur, quamvis enim numeri tantum infimi columnarum, seu anni Mystici 1461. cum Julianis 1372. exactè congruant, pro invenienda tamen proportione absque notabili errore proximè superiores 197. & 185. assumi possunt; cum differentia sit solummodo 6. horarum, ut secundum auream regulam dicas, 197. Mystici dant Julianos 185. quot dabant Mystici 1260. facta operatione produces 1183 annos Julianos & $\frac{1}{4}$. ferè.

Jucundissima annorum Mysticorum contemplatio nos ferè diutius justo detinuit, in reliquis erimus breviores.


CAPUT III.

De Conjunctionibus Magnis, earumque Revolutionibus per Trigonos Signorum.

ANtequam ad tractationem ipsarum Conjunctionum accedamus, quædam de Divisione Zodiaci & motu Planetarum in gratiam eorum, qui in Astronomia minus sunt versati, ad majorem elucidationem præmittere, operæ pretium esse duximus.

Antiquissima autem & communissima Divisio Zodiaci est, quæ in duodecim æquales partes seu Signa, atque horum quodlibet in partes triginta minores seu gradus; & totus Zodiacus in 360. gradus distinguitur. Et hæc non arbitrariè vel solum ob calculi facilitatem assumpta esse videtur, sed ipsam naturam habere authorem; observarunt enim Veteres Astronomi diametrum visibilem utriusque Luminaris conjunctim in cælo occupare partem ejus trecentessimam & sexagesimam: Aliis verò manifestus Luminarium motus hunc numerum commonstravit, haud enim difficile erat notare, Solem in diebus 365. & horis propè 6. seu accuratius h. 5. 49'. redire ad idem punctum Zodiaci, Lunam, verò interim sc. 354. hor. 8. 49'. duodecies cum Sole congregi; assumpserunt igitur numerum satis præcisè medium, 360. à quo annus Lunaris tantummodo horis 9. 22'. magis quàm Solaris distat: Verùm ut nihil deesset summæ accuratiori, Sol in quatuor punctis cardinalibus Zodiacum in 4. partes exactissimè distinguit, & quilibet quadrans in tres æquales partes ex ratione aspectuum, nimirum interventu Quadrati inter Sextilem & Trigonum interstitium partis duodecimæ seu 30. graduum satis apertè indicat. Atenim ne quis objiciat, hos ipsos aspectus in rerum natura esse incognitos, ac nil nisi ingenii humani conceptus phantasticos, ipsa rerum harmonia intercedit.

Nam Unifonus Conjunctionem, Vox Tertia minor Sextilem, Quarta Quadratum, Quinta Trigonum, Octava Oppositionem evidenter refert, uti ex chorda in circulum ducta facili experimento manifestissimè patet; Aspectus



Aspectus verò solùm veteribus Astrologis notos hìc apposuimus, qui ex aliquota circuli parte eos deduxerunt; vocarunt enim sextam Circuli partem, v. g. in adjuncto schemate, ab A. in β . vel γ . Sextilem: quartam ab A. in B. vel D. Quadratum: tertiam ab A. in δ . vel ϵ . Trigonum; mediam denique partem circuli ab A. in C. vel B. in D. Oppositionem: Plures ex rationibus harmonicis, (nempe laterum respectu diametri scibilitate & congruentia) Keplerus adinvenit, quos apud ipsum in *Opere Harmonices Mundi lib. 4. cap. 5.* videre licet. Sed aspectuum, qui in punctis Zodiaci consistunt, nomina Astrologi ad integras ejus partes duodenas seu Signa transulerunt, quæ omnibus sunt notissima.

Cùm igitur tria Signa ad formandum Triangulum requirantur, inde ex Signis illis duodecim quatuor Trigoni seu Triplicitates sunt exorti, quos à quatuor Elementis denominarunt hoc ordine, ut Trigonus dicatur

Primus, *Arietis, Leonis, Sagittarij, Ignæus.*

Secundus, *Tauri, Virginis, Capricorni, Terreus.*

Tertius, *Geminorum, Librae, Aquarij, Aëreus.*

Quartus, *Canceri, Scorpij, Piscium, Aqueus.*

Hæc signa, ut evidentius redderetur, quomodo forma triangulari cohæreant, lineis partim variè punctatis partim integris in schemate connectere libuit; Denominationem antiquam à rebus communissimis desumptam absque superstitione retinui, haud nescius vim Elementorum significativam à prudentibus jam dudum explosam esse, & Astrologos experientiâ contrariâ convictos: Quid enim prognosticationes ipsorum ex Conjunctione omnium planetarum in ♌ signo aëreo Anno 1186. (*ubi Calvisius*) de vento decumano; item ex eorundem Conjunctione in ♋ signo aqueo, Anno 1524. de inundationibus regionum prodigijs; Denique ex nupera Conjunctione omnium Planetarum in ♌ signo igneo in Decembri Anno 1662. de incendio quodam Phaëtonteo; Quid inquam, hæ prognosticationes aliud erant, quàm inania simplicium terriculamenta? Aded enim nihil ignei Anno 1663. sequente experti sumus, ut intrâ hominum memoriam tam nivosa hyems ac æstas pluviosa non contigerit, neque plus aquæ in ullo anno cœlitus fuerit demissum. Ordo signorum ab arbitrio humano planè dependet; Concedimus equidem illam cœli plagam, quæ interfectionem Eclipticæ & Æquatoris proximè sequitur, & qua Sol ad verticem nostrum propius admoveri incipit, ità quasi naturâ monstrante, pro prima à remotissimis seculis, aut si mavis, ab ipsis *Patriarchis ante-diluvianis*, semper fuisse habitam; quo autem nomine vel alio caractere tunc fuerit insignita, vel qua ratione reliquæ cœli partes, & stellæ fixæ à semet invicem distinctæ, minimum vestigium nullibi extat. Quòd verò ipsi Patri-

archæ Astronomiam excoluerint, insignia testimonia apud scriptores vetustissimos passim reperiuntur. Notissimæ sunt duæ columnæ Sethi, quarum unam suo tempore adhuc extitisse testatur Josephus *lib. 1. de antiq. Jud. cap. 3. inf.* non in Syria, ut vulgati codices habent, sed monente Dn. Isaaco Vossio in Seirada, de qua *Judic. c. 3. v. 26.* Enochi librum de nominibus plagarum cœli & omnium stellarum citat Origenes *in homil. 28. in Num.* & Tertullianus *in lib. de habitu mulier.* Ut mirum non sit, quòd Epigenes teste Plinio *lib. 7. cap. 56.* de tabulis quibusdam lapideis repertis, observationes astronomicas annorum 720. ante tempora Phoronei (vel ut alii putant Nini) continentibus, mentionem fecerit. At ubi tunc Aries noster stellatus? certè agmen signorum non ducebat: sed decimo demùm loco, quem nunc Aquarii dodecatem Orion occupat, subsequebatur: Imò credibile est, sanctos Patriarchas ob idolatriæ metum nullas hominum vel brutorum icones in cœlum collocasse, sed aliis forte literarum Hebraicarum figuris stellas distinxisse, ut conjectura est Gaffarelli haud improbabilis, *in curiositat. inaudit.* Imagines enim in Globis nostris cœlestibus depictæ antiquissima illa tempora minimè attingunt, sed omnes ad Græcorum sive historias sive fabulas pertinent, quæ in quatuor illis seculis à Mose usque ad Simsonem elapsis (cujus tempore Troja excisa est) contigisse referuntur.

*Navita tum stellis numeros & nomina fecit,
Plejadas, Hyadas: claramq, Lycaonis Arcton.*

Ut canit Virgilius *Georgic. lib. 1.* Inepti igitur sunt, qui ex historia Jobi antiquitatem istorum asterismorum probare conantur, quòd *cap. 9. v. 9. & c. 38. v. 31.* Plejadum, Hyadum, Arcturi, & Orionis nomina occurrant; hæc enim non in Hebraico textu, sed alia & nobis incognita habentur, verùm in versionem Græcam illa primùm irrepserunt, ac deinde in Latinam & Germanicam translata sunt; nam Job ipsis Plejadibus, Arcturo & Orione longè erat antiquior. Si calculum astronomicum consulimus, stellam in vertice Arietis principalem, quæ hodiè in 2° gr. γ cernitur, sub mundi conditu circa 10. ∞ positam fuisse, & demùm abhinc ante annos 2300. scil. tempore Captivitatis Babylonice ad principium ν pervenisse deprehendimus, quo seculo Astronomia à Thalete Milesio ejusq; discipulo Anaximandro in Græcia excoli cœpta est, ille enim primus Eclipses prædixisse, hic Sphæram composuisse legitur: Itaque Signorum ordinem ac distributionem Zodiaci, quam hodiè habemus, haud verustiore esse patet.

Zodiaco utcunq; constituto, jam motum videbimus Planetarum in ipso observatum: Generaliter quidem omnes Planetæ moventur circa Solem secundum signorum seriem ab occasu in ortum, scil. ab A. in B. C. D. &c. & singuli in orbita sua, quæ non figuræ est exactè circularis, sed ellipticæ,

pticæ, ut luculenter demonstravit Keplerus in *tract. de motu Martis*, cap. 57. (nos tamen ob differentiam vix sensibilem circulos retinuimus, ac inter Aphelios Medios & Perihelios homocentricos veras Planetarum orbitas eccentricas punctis notavimus) Hujus autem Ellipseos alter focus est *Sol*, motuum planetariorum verum atque physicum instrumentum hic enim corporis sui rotatione & radiis suis ceu fibris magneticis undique emissis planetas omnes pro varietate distantiae circumagit, & in eandem cœli plagam impellit; alter verò focus est quasi centrum *Æquantis* Ptolemaici, circa quem ita temperatur planetæ cujusque motus, ut licet ipse revera in ellipsi inæqualiter, & quidem in Perihelio duplo celerius quàm in Aphelio moveatur, æqualibus tamen temporibus æquales angulos illic absolvat. Hic *Motus* ab Astronomis vocatur *Medius*, ut distinguatur à *Vero*, qualis nimirum nobis Terræ habitatoribus apparet, unde rectius *Apparens* diceretur; cum enim Terra nostra non in centro orbium Planetarum sita sit, motus ipsorum nobis æquales apparere nequeunt, sed modò directi & veloces, modò tardi, imò etiam stationarii & retrogradi conspiciuntur; quam motuum varietatem Veteres (inprimis Hipparchus circa A. Per. Jul. 4570. & quem secutus est Ptolemæus circa A. Chr. 140.) terram in centro mundi immobilem statuentes, per epicyclum in eccentrico æqualiter incedentem & planetam secum circumducentem explicare conati sunt: Sed quanto felicius *Schola Copernicana* Astronomiam instauraverit, alibi diximus.

Interim speciales singulorum Planetarum motus contemplabimur, initium facturi à *Saturno*, qui periodum suam absolvit ab I. in K. & L. donec iterum redeat ad I. in annis ferè triginta, sive exactius, secundum calculum Astronomiæ Philolaicæ Ismaëlis Bullialdi, in annis Julianis 29. dieb. 155. hor. 10. Ubi notandum, quòd Clariss. Dn. *Christianus Hugenius* Hagæ Comitum primò 25. Martii An. 1655. per Telescopium observaverit stellulam quandam Saturnum perpetuò ambientem, quam ipse Lunulam Saturni vocat, cujus maxima distantia à ζ sit min. 3'. 16". & circuitum suum circa ζ dier. 15. hor. 22. 39'. spatio peragat, sed huic nuper *Dominicus Cassinus* duas alias superaddidit. Item quòd Saturnus cingatur Annulo lato tenui, plano nusquam cohærente, ad Eclipticam inclinato, sed *Æquatori* nostro parallelo, qui hactenus per errorem pro duobus lateronibus vel ansulis fuerit habitus, &c. Saturnum proximè sequitur *Jupiter*, qui totum cœlum ab M. per N. O. &c. in annis proximè duodecim perlustrat, nempe an. 11. dieb. 313. h. 14. Hunc quatuor Satellitibus indefinenter ipsum ambientibus stipatum esse primus observavit *Galilaus* Florentiæ An. 1610. 7. Januarii St. n. quorum Satellitum extrimus ad 13'. usque min. à 24. excurrit, & circuitum suum circa 24. absolvit dieb. 16. h. 18. sequens dieb. 7. h. 4. tertius dieb. 3. h. 13 $\frac{1}{2}$, intimus d. 1. h. 18. & dim.

Post

Post Jovem magno intervallo ad interiora recedit orbita *Martis*, quam ipse peragrat anno 1. dieb. 321. h. 22. 21'.

Deinde *Terra* suam percurrit cum comite *Luna*, anno integro, id est, secundum Bullialdum, dieb. 365. h. 5. min. 49'. 4". 21". Intra *Terræ* orbitam revolvitur *Venus* dieb. 224. h. 17. Denique *Mercurius* omnium intimus, dieb. 87. h. 23. uti in adjuncto schemate, quod observatâ orbium Planetariorum à se invicem distantium proportionem accuratè delineatum est, ob oculos ponuntur.

Sed istis missum factis, ipsas Conjunctiones Magnas contemplabimur: Est autem *Conjunctio Magna* existentia seu situs Saturni & Jovis sub eâdem parte Eclipticæ, ductâ lineâ vel ex centro Solis vel *Terræ*; si ad veros motus eosque vel centricos vel apparentes respiciamus. Mediis verò motibus Saturnus & Jupiter tunc conjungi dicuntur, cum uterque in orbita sua ad eundem gradum pervenerit, motu æquabili seu lineam ex centro *Æquantis* seu altero foco ellipseos ductâ. Nec impedit ingens interval- lum, quo in ipsa etiam conjunctione alter ab altero distat, quominus eos conjunctos dicamus, cum nobis planè sit insensibile, atque æstimetur ex linea recta ab oculo nostro in spheram fixarum perducta. *Magna* meritò dicitur non solum ob durationem & raritatem, sed etiam ob ipsorum Planetarum conjunctorum magnitudinem cæterorum magnitudine longè majorem; Saturnus enim (si Kepleri doctrina, quòd Planetarum moles corporum sit proportionata semidiametris Orbium, fundamentis sat certis nititur) ferè decuplo major globo *Telluris*, Jupiter plus quintuplo. *Du- rationis* causâ fit, quòd cum Saturnus & Jupiter, utpote omnium tardissimi, per integrum ferè annum in eodem Signo hæreant, interim à planetis cæte- ris omnibus necessariò conveniantur, excepto Marte superiorum tertio, qui tamen & ipse plerumque accedit, ac præbet spectaculum maximè con- spiciendum, nempe quòd tres stellæ insignes sine scintillatione in uno cœli loco fulgeant; quale Anno 1682. circa *Æquinoctium* autumnale in aurora, (si cœlum fuisset serenum) videri poterat. Rariùs autem accidit conjun- ctio omnium planetarum in eodem dodecatemorio seu signo, ut Anno 1662. 1. Decembris, attamen non est res adeò insolita, prout plerisque tunc visa est; nam & Anno 1186. 16. Septembr. omnes planetæ in primo decanatu *Libræ* (atque ita triplo propius) congregati erant, cujus Conjunctionis quoque meminit *Seth. Calvis. ad dict. an.* Plures calculus astronomicus procul dubio producere poterit. Sed Conjunctiones Saturni & Jovis Magnas etiam vocari diximus propter raritatem; planetarum enim inferiorum con- junctiones plerumque intra unius anni spacium revertuntur, nec Martis plus differuntur quàm paulo ultra biennium; At in Saturno & Jove vi- ginti annos expectari oportet; donec iterum congregiantur: nam Saturnus

motu

motu suo medio & æquabili ad idem Zodiaci punctum in triginta annis redit: Jupiter verò in annis duodecim; unde fit, ut si hi Planetæ à conjunctione digrediantur, in viginti annis vix tandem iterum conveniant; si enim Saturnus in triginta annis duodecim signa peragrat, ergò in viginti annis octo tantùm signa absolvet: Et si Jupiter in duodecim annis circulum percurrit, ergò in viginti annis non tantùm ad eum locum pervenit, ubi cum Saturno conjunctus fuerat, sed adhuc octo signa perambulat, & Saturnum in octavo signo iterum assequetur. Res calculo facillimè expediri potest hoc modo, si motus celerioris auferatur à motu tardioris, & per regulam auream dicatur, sicut se habet differentia utriusque motus, ad motum celerioris, ita motus tardioris ad tempus proximæ conjunctionis: V. gr.

h̄ 30	4	h̄
Ut $\frac{4}{12}$		
Differ. 18.	--- ad 12.	--- ita 30. --- ad 20. annos.

Eadem operâ patet, quâ fiat, ut congressus superiorum in unius tantùm Triplicitatis seu Trigoni signa incidant; nempe si dicamus, sicut se habet differentia utriusque motus, ad motum celerioris, ita integer circulus, ad locum proximæ conjunctionis; Ex. gr.

Ut differ. 18. --- ad 12. --- ita 360° --- ad 240°

Qui 240. gradus per 30. divisi, denotant signum octavum à priori Conjunctione, quod semper est ejusdem Triplicitatis. Cùm verò motus Saturni & Jovis non præcisè ita sese habeant, ut ille in uno anno gradus duodecim, hic triginta exactissimè absolvat, sed secundùm tabulas astronomicas, omnium quæ hodiè extant, quantum scio, perfectissimas Ismaëlis Bulialdi, motus annuus Saturni sit $12^{\circ} 14' 4'' 26''' 44''''$ Jovis autem $1. \text{ sign. } 0. \text{ gr. } 21'. 47''. 1. '' 9. ''''$ fit igitur ut nec post annos viginti peractos præcisè eodem die, nec etiam in eodem gradu eclipticæ, quibus antea conjuncti fuerunt, iterum conveniunt, sed ut bini congressus septima anni parte, ac tribus circiter gradibus minus, quàm 20. annis, & tertia circuli parte distent, atque intervallum temporis ab una Conjunctione ad alteram sit 19. an. 313. d. 5. h. 16. min. Motus verò, 8. sign. 2. gr. 57'. min. 25''. sec. Itaque anni ferè viginti, ac tres ferè gradus, decies multiplicati, conficiunt quàm proximè unum signum & annos ducentos, ac proinde Conjunctiones Magnæ per annos ferè ducentos; i. e. 198. an. 212. d. in eadem Triplicitate decies repetuntur, donec undecima vice ad principium sequentis signi transeant, quod novam incipit Triplicitatem, & talis *Conjunctio Major* seu *Media* dicitur. Si ergò quatuor Triplicitates seu Trigoni, quibus omnis continetur Zodiacus, in ducentos annos ducantur, periodum constituunt annorum

oſtingentorum paulò minus, nempe 794. an. 119. d. quo temporis ſpacio totus Zodiacus quadraginta Conjunctionibus Magnis in totidem partes penè æquales dividitur; eoque tempore exacto poſt integram Revolutionem Trigonorum reditur ad initium, & tunc fit *Conjunctio Maxima*, poſtquam ſcilicet totus Zodiacus à conciliis planetarum ex omni parte fuit frequentatus; & ſic

Magnus ab integro ſectorum naſcitur ordo.

Notandum, quòd cùm $2'.35''$. à tribus gradibus ſupra dictis deficiant, poſt annos ferè 1400 Conjunctiones Magnæ conſuetum numerum denarium ſuperent, ac undecim in una Triplicitate contingant: unde *Conjunctio Supernumeraria* oritur.

Exemplis omnia reddentur illuſtriora: In ſchemate ſuprà propoſito, ut diſpoſitio Signorum per Trigonos clarius eluceſcat, illa quæ ſunt ejuſdem Trigoni lineis punctatis conneximus; & circulo inter orbitam Martis & Jovis ob amplitudinem ſpaciï (quoniam vera Planetarum intervalla ex parallaxi Orbis annui ſic neceſſariò extructa, accuratè obſervavimus) punctis circumducto oſtendimus progreſſum quadraginta Conjunctionum Magnarum atque integræ Revolutionis proximè exactæ per omnes Trigonos, & quam ob cauſam in uno quolibet per 200. annos commorentur, ac deinde in alterum tranſeant, & tandem ad priſtinum locum redeant: factò initio quod Aſterifmo notavimus, non quidem à Trigono Igneo, qui aliàs vel ipſà naturâ indigitante pro primo meritò eſt habendus, ſed à Terreo, ſcil. An. 1007. ut Trigonom Igneum hoc noſtro & ſequenti ſeculo dominantem ſimul oculis ſubjicere poſſemus, cujus decurſum paucis enarrabimus. Conjunctione poſtrema Trigoni Aquei accidit An. 1583. in 28. gr. Piſcium, exiſtente nimirum Saturno in G. Jove in o. punctis ſuarum orbitalium, inde profecti, Jupiter quidem in annis ſequentibus duodecim integrum ſuum circuitum per M. N. & O. abſolvit, & An. 1595. ad priorum locum rediit, cùm Saturnus à G. per I. lentè procedens adhuc circa medium Leonis in K. commoraretur, ſed ipſum in proximo demum octennio à K. in θ . delatum Jupiter iterato itinère aſſecurus eſt in η . atque ita anno tandem vicesimo, ſc. An. 1603. denuò conjuncti ſunt in primo gradu Sagittarii, quæ erat Conjunctione prima Trigoni Ignei, in qua nunc vivimus; exinde motu medio convenerunt in tertio gradu Leonis An. 1623. poſtea in Sexto gradu Arietis; An. 1643. atque iterum in Signo Sagittarii, ſed gradu nono An. 1663. ſic quoq; conjunguntur hoc An. 1683. in 12. gr. Leonis, & ſic deinceps, donec poſt Conjunctiones in his tribus Signis Igneis decies repetitas An. 1802. devolventur ad principium Virginis, & eodem modo in Trigono Terreo ducentos annos complebunt, poſtmodum verò

in Aëreum

in Aëreum, & tandem in Aqueum transitori; atque ita post 800. annos integrum circulum emerientur. Verùm ista, quæ de regulari progressu Conjunctionum Magnarum diximus, intelligenda sunt secundùm motus medios cuiusvis Planetæ in sua orbita; Sicut autem ipsi motus medii planetarum docendi tantùm causâ ab Astronomis sunt excogitati; sic etiam conjunctiones per calculum simili modo productæ, reales nullæ sunt, ut ipsa inspectio schematis docet, loca enim G. o. & θ . η . Conjunctionum An. 1583. & 1603. nec Soli nec Terræ per rectam lineam possunt connecti. Hinc etiam fit, quòd Conjunctiones motûs medii à Conjunctionibus Veris, sive Helio-Centricis sive in Terra Apparentibus, plerunque aliquot mensibus & gradibus antrorsum vel retrorsum differant & distent; pro exemplo sumamus Conjunctiones Magnas hujus seculi omnes, sed omiſsis Centricis, quæ ad Solem spectant, intervalla temporis ac loci videbimus inter Medias, quæ sc. ex calculo motûs medii seu æqualis producuntur, & Apparentes, quæ nobis ex Terra cœlum intuentibus Saturnum & Jovem apparenter conjunctos exhibent, utpote instituto nostro magis convenientes, ex illis enim Tabula nostra confecta est, hæc verò nos Terricolæ singulariter respiciunt. Anno 1603. Conjunctio Magna secundùm motus medios incidit in diem 18. Augusti & $0^{\circ} 34'$. Sagittarii, sed Apparens in 8. Decembris, & $8^{\circ} 21'$. Sagittarii; An. 1623. Media, 28. Junii, $3^{\circ} 32'$. Leonis; Apparens, 6. Julii, $6^{\circ} 38'$. Leonis: An. 1643. Media, 7. Maji, $6^{\circ} 30'$. Arietis; Apparens, 16. Februarii, $25^{\circ} 23'$. Piscium: An. 1663. Media, 16. Martii, $9^{\circ} 26'$. Sagittarii; Apparens, 10. Octobris, $13^{\circ} 31'$. Sagittarii.

Insignis autem est *Conjunctio Magna hujus Anni 1683.* quæ quoad medios motus referenda quidem est ad 23. Jan. ejusdem anni, & $12^{\circ} 24'$. Leonis, sed motu apparente ter recurrit, (quod jam in aliquot seculis non contigit) nempe An. 1862. 20. Octobr. in $19^{\circ} 52'$. Leonis, deinde dicto 23. Jan. An. huj. 1683. in $17^{\circ} 38'$. Leonis, deniq; 15. Maji An. eod. in $15^{\circ} 18'$. Leonis; in occurſu primo & tertio Saturnus & Jupiter erant & erunt directi, in secundo retrogradi: causa ex ipso schemate patet; nam in primo congressu apparente locus Helio-centricus Saturni erat in K. Jovis in t. Tellus verò versabatur tunc in h. 7° Tauri, sc. in puncto opposito Veri loci Solis, qui erat in 7° gr. Scorpionis; si ergò ducatur linea ex h. per t. & K atque huic parallela ex Sole in Eclipticam a. X. monstrabit hæc verum Conjunctionis locum in Ecliptica, scilicet in 20. gradu Leonis; In secundo congressu Tellus planetas paulò ulterius promotos consecuta est in k. 14° Leonis, haud procul ab oppositione Solis, & tunc eos apparere retrogrados idèd necesse est, quòd Tellus sub ipsis celeriore motu præter vehatur: In congressu denique tertio locus Helio-centricus seu ex Sole conspectus, si oculus ibi supponatur, Saturni erit

in puncto Orbitæ suæ κ . Jovis in λ . & cum Tellus locum in Orbe Magno tunc occupaverit in m. 4. gradu Sagittarii, ducta ex m. per λ . & κ . linea, atque huic parallela ex Sole a. W. indicabitur locus Conjunctionis in 15. gradu Leonis à nobis Terricolis contemplandus. Causa quoque, quod planetæ primò in 20. & demum post septem menses in 15. gradu Leonis conjuncti, cum interim uterque in consequentia fuerit progressus, nimirum Saturnus à K. in κ . Jupiter à t. in λ .; hujus, inquam, phænomeni causa manifesta est ex ductu linearum parallelarum ex Sole, ibi enim parallela depressior a. X. requirebat in utroque planeta Æquationem Orbis adjectoriam, hic elatior a. W. subtractoriam. Quemadmodum verò Conjunctiones Magnæ Apparentes à Mediis in tempore & loco ut plurimum valde discrepant, sic etiam Heliocentricæ (quales per lineas a. O. L. α . item a M I μ . item a N K W repræsentantur,) cum Mediis raro respondent, ratio est, quod Orbitæ Planetarum aliud centrum Mathematicum habeant, quàm Solem & puncta Æquinoctiorum vel Solstitiorum Orbitarum suarum in extremitatibus linearum lineis A. C. vel B. D. per centrum illud parallelis ductarum G. H. vel o. p. obtineant; licet Solem omnium Planetarum verum ac Physicum centrum esse demonstretur à *Keplero in Epitome Astronom. Copernic. lib. 4. & alibi*. Centrum enim Orbitæ Saturni est in e. Jovis in b. ergò linea Apsidum & Aphelium atque Perihelium Saturni E. F. Jovis q. r. item Æquatio Centri ab E. ad F. & à q. ad r. motui medio subtrahenda, ab F. ad E. & ab r. ad q. addenda venit. *Cognitio itaque motu medio Saturni vel Jovis, eorum locus Heliocentricus cum in Ecliptica tum in Orbita cuiusque sua, & locus Verus seu Apparens in Ecliptica ex hoc ipso schemate facillimè inveniri potest*; Linea enim ex puncto, quod Centro Æquantis seu alterius foci Ellipseos f. vel c. in æquali à Sole distantia opponitur, ut g. vel d. ducta per punctum motus medii planetæ in orbita sua, ostendit locum planetæ Heliocentricum in Ecliptica (quemadmodum in theoria Lunæ Ptolemaica Apogæum Epicycli medium atque motus Lunæ regularis invenitur per lineam ex puncto, quod centro Eccentrici opponitur, eductam) & ex hoc ipso loco alia reducta ad Solem, indicat locum Heliocentricum in orbita, si jam per hunc locum ex vero loco Telluris ducatur linea ad Eclipticam, & huic parallela ex Sole, habebitur locus Verus seu Apparens in Ecliptica. Exempli gratiâ sit Saturnus motu medio in puncto T. orbitæ suæ, seu 15. gr. Arietis, scilicet tempore Conjunctionis Magnæ Mediæ An. 1702. 2. Decembris; Jupiter verò in puncto x. seu 9. & dim. Sagittarii, vel s. seu 4. & dim. gr. Leonis, scilicet tempore Conjunctionis Mediæ An. 1663. 16. Martii, vel Veræ An. 1682. 2. Octobris, ducatur linea ibi g. R. per T. hinc d. y. per x. vel d. V. per s. quæ monstrabit locum Heliocentricum in Ecliptica, Sa-

turni quidem in 9. gr. Arietis, Jovis verò in 4. & dim. Sagittarii vel 9. & dim. gr. Leonis, jam reducatur ex hoc ipso loco linea ad Solem, ibi R. a. hinc y. a. vel V. a. quæ in orbita Saturni ostendet locum Heliocentricum in puncto S. Jovis in v. vel t. deinde linea per hoc punctum educta ex vero loco Telluris ibi i. Q. hinc l. Z. vel h. W. atque tandem huic parallela ex Sole ibi a. P. hinc a. α. vel a. X. & hæc exhibebit Verum seu Apparentem locum Saturni in 3° gr. Arietis, ac locum Jovis in 14³/₄. gr. Sagittarii vel 20° gr. Leonis: In hac quidem theoria manuarum requiritur illa linea parallela, cum aliàs secundum rei ipsius conditionem (quia Orbis Magnus, seu distantia punctorum a. i. item a. l. vel a. h. collata ad fixas est insensibilis) recta ipsa ex Tellure per corpus planetæ, usque sub fixas educta signet locum planetæ apparentem, adeoque distantia punctorum P. Q. item Z. α. vel W. X. in quæ incidunt hæc parallelæ, in terra habeatur pro uno puncto. Attamen hoc nostrum Schema non omnibus seculis pro locis Planetarum inveniendis æquè inservit, sed tantum huic præsentis & proximè sequenti seculo, quoniam loca Apheliorum in consequentia Signorum promoventur, licet tardissimè: Veruntamen ut nihilominus in aliis quibuscunque seculis vera planetarum superiorum vel Conjunctionum & Oppositionum Magnarum loca vel eminus conjectando aliquatenus assequi possimus, adjicere libuit sequens laterculum Progressionis Apheliorum Saturni & Jovis per annos millenos & quingentenos, juxta hypotheses Ismaëlis Bulialdi:

Aphelium 5.		Aphel. 2.	
Anno Per. Jul. o.	5°. 46'. II.	- - -	1. 45'. α.
500.	21. 37. II.	- - -	14. 8. α.
1000.	7. 28. 96.	- - -	26. 30. α.
1500.	23. 20. 96.	- - -	8. 52. II.
2000.	9. 11. Ω.	- - -	21. 15. II.
2500.	25. 2. Ω.	- - -	3. 37. 99.
3000.	10. 54. η.	- - -	16. 0. 99.
3500.	26. 45. η.	- - -	28. 23. 99.
4000.	12. 37. η.	- - -	10. 45. Ω.
4500.	28. 28. η.	- - -	23. 7. Ω.
<hr/>			
Anno Æræ Chr. o.	5. 14. m.	- - -	28. 24. Ω.
500.	21. 5. m.	- - -	10. 46. η.
1000.	6. 56. †.	- - -	23. 9. η.
1500.	22. 48. †.	- - -	5. 31. η.
2000.	8. 39. X.	- - -	17. 53. η.
2500.	24. 30. X.	- - -	0. 16. m.
3000.	10. 22. ∞.	- - -	12. 38. m.

De *Oppositionibus* quoque *Magnis* quædam monenda sunt, quamvis enim *Conjunctionum* leges ut plurimum sequantur, atque ab illis dependant, nonnulla tamen quoque habent singularia. *Oppositiones* cum *Conjunctionibus* in eo conveniunt, quod eodem modo per eosdem *Trigonos* revolvantur, veluti si *Saturnus* & *Jupiter* conjuncti fuerint in *Ariete*, signo *Igneo*, post decem annos vel paulò, id est, 26. diebus minus, nempe post an. 9. d. 339. h. 5. *Saturnus* erit in *Leone* signo itidem *Igneo*, propè locum *Conjunctionis Magnæ* ante 30. annos celebratæ, *Jupiter* verò in *Aquario* signo opposito & *Aëreo*; ità ut *Saturnus* (ad quem utpote tardiozem in *Oppositionibus* magis est respiciendum) interim motu medio promotus sit per 4. signa, i. gr. 27'. Id verò in *Oppositionibus Magnis* singulare est, quod sicut *Conjunctiones* rarò ter una vice repetantur, & vix ultra annum se notabiliter extendant; ità è contrario *Oppositiones* plerunque ter, imò interdum quinquies recurrunt, & tres annos comprehendunt, uti Anno 1632. 33. & 34. item An. 1671. 72. & 73. causa est, quod circa *Oppositiones* rarò uterque sit directus, nisi *Sol* in *Quadrato* utriusque versetur, sed plerunque alteruter retrogradus. Nec silentio prætereundem est, quod *Saturnus* & *Jupiter*, dum adhuc in *oppositione* hærent, à *Marte* & *planetis* reliquis omnibus successivè conveniantur, hinc fit, ut *Oppositiones Magnæ* partim referri possint ad illum *Trigonum*, quo *Conjunctiones Magnæ* eo seculo frequentantur, partim ad *Trigonum Oppositum*, qui ante quadringentos annos dominabatur.

An verò nostra aliquid intersit, si *Saturnus* & *Jupiter* sint conjuncti vel aliter dispositi, ipsorumque *Conjunctiones* vel *Oppositiones* in hoc sive illo *Trigono* contingant? hac de re diversas semper fuisse & adhuc esse virorum doctorum sententias, nemini est ignotum. Quidam enim cum *Epicureis*, omnem vim agendi in hæc inferiora *Astris* denegant, alij verò cum *Platone* causam mutationis rerum maximarum in ea reponunt: Illorum opinionè in *Patrocinio Astrologiæ MS.* abundè refutavimus, nec non alibi causas *physicas* clarissimè deduximus, quantum *Astra* in universa natura *sublunari*, atque potissimum in homine *influxu suo* possint ac operentur. Hic tantummodo de effectu atque significatione *Conjunctionum Magnarum* quædam adjiciemus, quas antiquos *Chaldæos* maximi fecisse, eorumque doctrinam ad *Arabes* & *Judæos* penetrasse compertum est: unde *Albumasar*is *Arabis* & *Messalahi* *Judæi* integra volumina de *Conjunctionibus Magnis* adhuc extant. In primis autem memorabile est, quod *Isaac Abarbenel* (vel, ut alij scribunt, *Abrabaniel*) *Rabbinus Hispanus* in *Commentario suo* in *Prophetam Danielem* An. Chr. 1432. scripto, (quem in linguam Latinam à se versum mecum humanissimè communicavit Celeberrimus Dn. D. *Buxtorfius* ὁ μακαρίτης) *Gentis Judaicæ* fortunam, ejusque varias mutationes extransu

transitu Conjunctionum Magnarum per duodecim Signa Zodiaci deduxerit; quarum quinque esse gradus statuit, secutus calculum erroneum Arabum: 1. Conjunctionum Parvarum Saturni & Jovis à 20. ad 20. annos in eodem Trigono, 2. Mediarum à 60. ad 60. annos, revertente Conjunctione Parva ad idem Signum Trigoni, à quo incepit, 3. Magnarum, cum in annis 238. transferuntur Conjunctiones ad alium Trigonom, 4. Majorum, post recursum annorum 953. cum trimestri, quando Conjunctiones per omnia signa in quatuor Trigonis absolutis, redeunt ad Signum secundum Trigoni primi: Tandem 5. Maximarum, post 2860. annos, cum Revolutione Conjunctionum Magnarum incipit à Signo, à quo jam olim incepit; hinc oriri maximas mutationes, & natiuitates magnorum Prophetarum novas Leges constituentium.

Cum autem, ut ipse putat, Anno Mundi Epochæ Judaicæ 2365. facta sit Conjunction Maxima in Piscibus, triennio post natum esse Mosem, Israëlitarum ex servitute Ægyptiaca liberatorem & Reipublicæ Judaicæ conditorem: Ideo Rabbini Synagogæ suæ spem faciunt adventus Messiae per revolutionem Conjunctionum Magnarum ad Signum Piscium, post annos 2860. ab illo tempore elapsos: Hoc enim Signum maximè ad Israëlitas spectare ait, in quo uterque Beneficus dominetur, & Jupiter habeat Domicilium; nam patrem ipsorum Abrahamum fuisse Jovialem, ut ex ejus temperamento, liberalitate, justitia & divitiis colligi possit, qui etiam in S. Scriptura eodem nomine, quo planeta Jupiter, vocetur; *Jesaj. c. 41. v. 2. Mich. c. 7. v. 20.* Quali igitur respectu cætera Signa ad Pisces se habeant, tali etiam in statu res Israëlitas post Conjunctiones Magnas in cæteris Signis extitisse: Nam post annos M. Ep. Jud. 2841. & 3318. cum Conjunctiones Magnæ pervenissent ad Signa Tauri & Cancri, Pisces amicis aspectibus intuentia, res benè habuisse, ibi enim Remp. Israëliticam sub Davide & Salomone ad summum florem fuisse perductam, hinc post solutionem captivitatis Babylonicæ restauratam in pristinum vigorem: Sed Conjunctionibus Magnis An. 3079. & 3794. ad Geminos & Virginem, scil. Signa quadratis & oppositis radiis Pisces hostiliter oppugnantia, devolutis, illam ingentia mala perpeffam esse, ibi quidem Assyriacam & Babylonicam Servitutes, hinc verò sub Tito Vespasiano totale Urbis & Templi excidium, & omnimodam Gentis Judaicæ dispersionem: Sperandum itaque (ait ille) quando Conjunctiones Magnæ An. M. Ep. Jud. 5224. id est An. Chr. 1464. denuo ad Signum Piscium sint rediturae, Judæos per Messiam esse liberandos, &c. Sed quid nugis istis Rabbincis diu immoramur? crassissimos hujus Apellæ errores in computatione tam temporis rerum gestarum, quam motus Planetarum commissos, ex collatione Tabulæ nostræ quivis facile poterit animadvertere. Nam si ad annos Epochæ Mundi Judaicæ addan-

tur 953. producuntur anni Periodi Julianæ, qui, si cum illis in Tabula nostra positis conferantur, non solum eventus rerum sua signa multis plerumque annis anteveritisse, sed etiam Conjunctiones à Signis annotatis longè abesse comperiemur: nam pro Signo Piscium Conjunctionis An. M. Ep. Jud. 2365. id est, Periodi Julianæ 3318. nos per certiore calculum invenimus Signum Capricorni; An. 2841. i.e. P. J. 3794. pro Tauro Pisces; Anno 3079. i.e. P. J. 4032. pro Geminis Arietem, &c. Magis autem mirandum est, potuisse errores tam enormes in denotando tempore Conjunctionum Magnarum committi etiam in annis post Christum natum elapsis, cum tamen tempus verum atque à nostro calculo parum discrepans omnium Conjunctionum Magnarum ab illa epocha usque ad annum Christi 1583. in Tabulis Alphonsinis An. Chr. 1252. editis jam diu antè publicè proflaret; quod opus præclarum Rabbinus iste aliàs haud ineruditus nescire non potuit, sed verisimile est, hoc studio dissimulasse, ut contribules suos isthac vana spe aliquandiu lactaret.

Veriores autem observationes & cum certissimo calculo astronomico convenientes Tabula mea exhibet, quòd nimirum *maxima rerum publicarum mutationes tunc eveniant, quando Conjunctiones Magna ad Trigonum & Signa opposita, qualia sunt Ignea Aëreis, & Aquea Terreis, devolvuntur, quod circa annum quadringentesimum contingit*: Hujus rei loco exempli illustrissimi nobis sit *Respublica Romana*, cujus seminarium (ut à summis initiis incipiamus) erat Troja, quæ eversa est in priori seculo Trigoni Aërei; post quadringentos autem annos in seculo Trigoni Ignei itidem priori, Roma condita est; quæ redeunte Trigono Aëreo à Gallis capta & incensa; sed Conjunctionibus Magnis ad Trigonum Igneum revolutis sub Augusto ad Monarchiam elevata; Revertente autem Trigono Aëreo à Gothis & Vandalis acriter direpta & pessundata; donec Trigono Igneo iterum adventante Monarchia illa ad Francos sub Carolo M. translata est; atque tandem Trigono Aëreo iterum regnante, in manus Austriacorum sub Rudolpho Habsburgico devenit; Jam verò sub Trigono Igneo ita nutat, ut mox collapsura vel ad alios transitura videatur. Similis quoque reciprocatio inter Trigonum Terreum & Aqueum per annos quadringentos subinde recurrentes observari poterit in mutationibus Regni Persici à temporibus Cyri usque ad Usuncassanem; Item in Ecclesia Romana à Constantino M. usque ad Carolum V. Nam *Persia regnum* quod attinet, ejus fundator Cyrus victo Astyage avo materno Medorum rege illud erexit sub Trigono Terreo circa medium prioris seculi: Post quadringentos annos sub Aqueo Parthi duce Arsace Persiam occuparunt; sive Tacito credamus, qui hoc sub Antiocho Epiphane factum esse memorat, *hystor. lib. 5. c. 8.* sive Parthi Armeniorum à Romanis defectione An. P. J. 4528. demum sint confirmati. Sed id redeunte

redeunte Terreo Persæ recuperarunt duce Artaxerxe seu Ardschire, qui Artabanum Parthorum Regem ultimum vicit & occidit: At post annos iterum quadringentos sub Aqueo Trigono, in Saracenorum potestatem occiso Isdigerde transit: Hos Turci, post 400. annos sub Terreo, excusserunt Togrulbeco duce: Et istos Tartari, quorum regnum in suam familiam transtulit atque firmavit Usuncassanes, annis 400. iterum evolutis sub Trigono Aqueo.

Sed illa reciprocatio inter Terreum & Aqueum Trigonos haud minus clarè elucet in incrementis ac mutationibus *Ecclesia Romana*; cum enim Mysterium illud Iniquitatis jam à temporibus Apostolorum operari inciperet, manifestè se exeruit in Victore Episcopo Romano, qui anno Chr. 195. sub initium Trigoni Terrei, Orientales Ecclesias, quòd alio die, ac ipse, festum Paschatis celebrarent, immani ausu à communione excludendas edixit. At fortè rectius natalem Antichristi adhucdum sub sanctitatis larvâ delitescantis referemus ad tempora Sylvestri, paulò post principium seculi secundi ejusdem Trigoni Terrei; hic enim pace Ecclesiæ per Constantinum M. datâ An. Chr. 315. cum divitiis venenum ei intulit, ut in ipsius Legendâ habetur; tunc etiam An. Chr. 325. in Concilio Nicæno Episcopus Romanus inter cæteros Patriarcha constitutus, atque An. 330. Imperiali sede Constantinopolim translata (scilicet removendum erat, quod ipsum detinuit, *2. Thessal. 2. v. 6.*) potentiam suam amplificandi nactus est: sed & ipsa fidei defectio in Liberio Papa An. 352. hæresi Ariana imbuta mox apparuit. Post annos 400. iterum in principio Trigoni sed oppositi nempe Aquei, Bonifacius III. An. Chr. 606. suprâ omnes Episcopos in Caput Ecclesiæ evectus est à parricida Phocâ Mauritiî Imperatoris occisore: Et in secundo seculo ejusdem Trigoni Pontifices Romani jam depositâ larvâ contrâ ipsos Imperatores insurgere, eosque non ob aliquam hæresin, sed tantum propter imagines Sanctorum ex templis remotas, An. Chr. 712. & 726. excommunicationis fulmine percutere, insuper politicam quoque potestatem invadere, rebelliones excitare, & à civibus Romanis juramentum fidelitatis exigere An. 730. imò regnum Galliæ transferre An. 752. ausi sunt. Iterum post annos 400. in principio Trigoni Terrei, Romani Præsules non jam superos, sed Acheronta movere & pacisci cum Diabolo cœperunt, ut ad Pontificatûs culmen pervenirent, ut de Sylvestro II. ejusque successoribus quibusdam, præsertim Hildebrando, historici testantur; eorumque etiam ipsorum fastus processit, ut Reges crearent, prout à dicto Sylvestro II. in Ungaria factum est An. Chr. 1000. Sic in seculo secundo hujus Trigoni An. 1122. Calixtus II. investuras clericorum Imperatori extorsit, simulque sibi suisque successoribus absolutam in omnes Clericos potestatem asseruit; tunc etiam, ut Hierarchia ista pulchrè efformetur, à

Gratiano Jus Canonicum confarcinatum Ann. Chr. 1152. Eugenius III. promulgavit. Atenim postquam Ecclesia Romana ad summum potentiae fastigium sese hoc modo extulit, eo ipso An. 1126. tempore pii ac fideles Christiani secessionem ab ea moliebantur, authore Petro Bruis; quem mox majore concursu secutus est Petrus Waldus; An. 1152. sicque tunc Ecclesia novam faciem induit, & Apostatica continuò persecuta est Apostolicam: Quamvis & illa horrendis motibus subinde concutiebatur, praesertim post annos 400. Trigono Aqueo redeunte, cum in schismate illo verè Babylo-nico tres simul Pontifices mutuis execrationibus in semetipsos saevirent, An. 1410. At in secundo seculo ejusdem Trigoni, luce Evangelii An. 1517. & sequentibus clariùs exortà, Antichristo Romano ruina haud obscure imminebat, cum non jam singuli, sed tota simul regna ac provinciæ amplissimæ ex Babylone exirent, praesertim An. 1552. quo Ecclesiae Evangelicæ in Germania per Transactionem Passaviensem res suas sibi habere publicè permittebatur. Post annos igitur 400. ab hinc numeratos sub Trigono Terreo, (nisi abbrevientur dies propter electos) haud vano augurio licet conjicere, ipsum finalem Antichristi casum tunc adfuturum esse, maximè quòd tempus ipsius in Apocalypsi definitum, nempe annorum 1260. cum isto respondeat, atque in An. Chr. 1952. desinat, si epocham ejus constitua-mus anno 692. quo Ecclesia Orientalis seu Græca manifestè ab Occidentali seu Romana dissidere cœpit, prout talem discessum Mulier Apocalyptrica in desertum fugiens præfigurasse videtur. Sed de his fortè plusquam satis: progrediamur igitur ad alia, quæ chronologiam nostram propiùs tangunt.

C A P V T I V.

De Epochâ Mundi incerta.

Non sum nescius, quin aliqui Tabulam meam calumniandi ansam vel ex hoc ipso sint arrepturi, quòd in constituenda Epochâ Mundi non vulgarem Dionysianam sim secutus, sed aliam novam excogitaverim, eum tamen illa à Scaligero firmissimis argumentis atque characteribus suâ & asseclarum opinione indubitatis, sit demonstrata, & à plerisque nostri seculi Chronologis aded pro certa habeatur, ut Reinholdus Franckenbergerus Professor quondam Wittebergen-sis asserere haud dubitaverit: *Quemadmodum extra Ecclesiam non sit salus, ita extra Chronologiam Scaligerianam non sit chronologica veritas.* Ne autem Chronologia mea tanto præjudicio gravata ab insciis damnetur, pauca in ipsius defensionem proferre, & quòd Scaligeriana certitudinis titulum sibi falsò arroget, ostendere necesse est.

Mundum non extitisse ab æterno, sapientiores etiam ex Ethnicis ag-noverunt,